



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Centurio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

CENTURIO. CAP. XIX.

AC, ne lene quid attigisse videamur, eadem trapezitarum nota in plerisque veterum monumentis ^{Nota 7^a} adsculpta, centurionis signum habebatur. Ostendit mihi Romæ vetustum admodum monu- ^{Centurio} mentum ex marmore Thomas Petrosanctus, vir antiquitatum huiusmodi studiosissimus: in quo ^{& n^o signum.} signum id incisum, erat, & verba rem interpretantia, in hunc modum addita.

SIGNUM CENTURIONIS, 7. CAP. XX.

ET Bononiæ inscriptionem vidimus ad C. Petronii ædem, in qua signum idem eodem significato incisum spectatur. Romæ etiam apud Paulum Cæsium Cardinalem inscriptionem vidi ejus notæ, quæ sic incipit:

M. POMPEIO. M. F. ANIASPRO 7. LEC. XV.

APOLLINAR. 7. COH. III.

& quæ multa ibidem insculpta sunt militaria, de quibus in Armorum commentario abunde meminimus.

DEUS. CAP. XXI.

NON erat autem otiosum Septenarii nomen, quod hieroglyphicum esse Dei Philolaus asseverat: ^{Septenarii numeri} quippe quod ea sit ejus numeri prærogativa, ut ipse sibi similis, alter ab aliis sit, veluti Deus, dux ^{prærogati-} & princeps universorum solus, semper singularis & immobilis. Inter enim ea, quæ intellectu perci- ^{va.} piuntur, septenarius sine motu est, neque quicquam patitur. Nam alii numeri partim generant non geniti, partim generantur, cum minime generent: alii utrumque; obeunt munus, solus vero septenarius utriusque conditionis immunis. Unitas quippe à nullo profus genita, numeros omnes quotquot habentur, generat. Octo vero generantur à bis quatuor, nullum autem generant. Nam numeri hic infra denarium intelliguntur. At quaternarius eorumdem, & parentum & liberorum jus obtinet, octonarium quippe gignit, à bis duobus ipse genitus.

PALLAS. CAP. XXII.

QUORUM cum nihil accidat septenario, quod sine matre sit, quodque virgo Palladi assimilatur, & quorundam symbolico hoc utentium idiomate mos fuit summi Dei sapientiam vocabulo signoque; Palladis interpretari: quanquam ubi figuras mathematicas aliquot hoc commentandi genere declaravimus, ternarium & quæ septenarius significata habeat in Divinis literis, dicenda sunt hic satis fuerit pauca hæc attigisse.

OCTO OCTINGENTA. CAP. XXIII.

MEDIUS itaque auriculari adjectus, ita ut una cum eo extremam volæ partem apprimat, octonarii numeri hieroglyphicum erit in læva: in dextera octies centena recensita indicabit.

IX. CM. CAP. XXIV.

MEDIUS demum ad extremam palmæ volam, una cum duobus inferioribus applicatus, ita ut totam obtegant, novem in sinistra constituit, in dextera novies centena.

MULTITUDO, CAP. XXV.

EST etiam novenarius ipse numerus hieroglyphicus: quippe qui se non intra cutem contineat, sed ^{Novenarius numerus.} effusus plurimos significet, quod Theon observat in Arati carmine, *ένναγήρα κορώνη, non quod novem, inquit, ætates vivat, sed quod perquam diu, ut Tibullus.*

Vivere Cornices multos dicuntur in annos.

Apud Nicandrum *ένναδέκην* lego leges, pro, aliquot præditum aculei. Idem *ένναδέστωρ σφονδύλης* in Scorpii cauda ponit, cum septem tantum in ea compages enumerentur. Pro multis igitur novem posita interpretes agnoscunt, de quo satis in Scorpii commentario. Quin & Alcaeus Hydram *έννακάφαλον* eadem ratione dixit, cum Simonides eam *πεντηκοιτακέφαλον* tradat. ^{En. lib. 6.} Quem imitatus Maro, ita super ea:

Μημ 2

Quin.